

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS

QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAE-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRAESENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Brüsztle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUECOLESIENSI.

Tomus IV.



QUINQUE-ECCLESIIIS,

TYPIS ANDRAE MADARÁSZ (SIGISMUNDI SIMON)

1880.

CXXIII.

Parochia Paks.

(Comitat. Tolna.)

3810.

Antonius Verantius p. t. episcopus Quinqueecclesiensis mense Julio 1553. legationem pro rege Ferdinando ad Turcarum imperatorem suscipiens, et beneficio navis Constantinopolim versus profectus commentarium de itinere suo exaravit, in quo praeter alia ista habentur: „Nec alium insignem aut nominatu dignum locum ripis Danubii imminentem in eo tractu vidimus, quam oppidum *Pacchos*, vinetis tantummodo circumdatum, et III. ad Tolnam milliaribus nostris pertinens. A quo oppido *Pacchos Paxiorum* quoque familia denominatur, quae quidem et vetus, et clara est, censeturque jam a multis annis in primorum ordine.“¹⁾

Antiquitus in loco Paks colonia romana „*Altaripa*“ exstitit, non autem „Lussunium“, quod paulo supra Kömlöd situm habuit.²⁾ Locum *Pacchos* vel *Pákos* reperimus cum suo plebano in collectoria pa-

¹⁾ Monument. Hung. Hist. II.

²⁾ Chevapovich.

pali, sic: anno 1333. *Laurentius de Pokus solvit 23 banales*; — 1334. *Laurentius de Pokus*, (solvenda quota non exponitur;) — 1335. *Andreas de Pakus solvit 24. banales.*³⁾

Eodem seculo 14-o Pákos sive Paks in possessionem familiae Zemere de Apostag venit, cujus stirpis auctor Oliverius, propter navatam praeclare operam in bello, partamque de Tartaris victoriam, locum istum a Ludovico I. anno 1354. dono accepit. Inde nomen tulit celebris et multos annos florens familia Pákosy = Paxi = Paksy, cujus surculus Michael Zemere de Pákos in pugna contra Turcas et expugnatione castris Sarno (Chabilla = Caballa) mense Julio 1515. pro patria fatum excepit. Ultimum hujus familiae germen virile fuit Ladislaus Paksy, Joannis Paksy ex Juditha Eödönffy filius seculo 16-o, cui unica fuit soror Anna, Stephano Daróczy nuptui tradita.⁴⁾ Tali modo sine dubio intravit familia Daróczyana in possessiones in et circa Paks usque ad novissima tempora tentas.

Anno 1435. *Zemere de Pakus*, et Stephanus de Zantho vice-comites, cum reliquis iudicibus nobilium comitatus Tolnensis, quemdam Joannem de Szakadát actus potentiarii culpant.⁵⁾ Ex hac Paxiorum familia descendit *Blasius Paxi* (Paksy,) parentibus Emerico Paksy et Agatha Hederváry progenitus, qui 1525. ad pedum Jaurinense eluctatus, anno sequenti una cum germano suo Joanne, supremo comitatus Tolnensis comite ad Mohács occubuit.

Cum exitu seculi 17-i statim atque nostrae par-

³⁾ Koller II.

⁴⁾ cf. Nagy Iván M. család. IX. et Fessler V.

⁵⁾ Fejér-cod. X. 7. p. 730.

tes per gloriosa Leopoldi I. imp. et regis Hung. arma ab illuvie Ottomanorum perpurgatae exstiterunt, patres Franciscani provinciae Bosnensis ad oppidum Paks, salutem animarum congregatorum paucorum fidelium procuraturi venerunt, exstructa sibi isthic vili residentia; lapsu vero temporis ex firmioribus et solidis materialibus exsurrexit versus occasum tractus integer, ab aquilone refectorium, a meridie autem sacellum. Structuram hanc concernentia duo documenta hisce exhibemus:

Infrascriptus virtute praesentium notum facio, quibus expedit universis: Quod posteaquam A. R. in Christo P. Josephus Jankovich Venerabilis Provinciae Bosnae Argentinae, Ord. Fratrum Observantiae S. P. Francisci actualis Provincialis, in eo debitum ad me posuisset recursum, quatenus videlicet in Oppido Paks, Incl. Com. Tolnensi adjacenti, quo nimirum per antenatos nostros florentissimae quippe Familiae de Pakos, praelati Oppidi Dominos terrestres haereditarios jam dudum introducti, pariter et stabiliti habentur, pro aedificatione animarum Christianarum, summaque Dei Omnipotentis gloria, erigendo ex fundamentis Ecclesiae structuram: hujusque in contiguitate Residentiam, vel Conventum pariter erigendum admittere vellem. Hinc, piaae, et salutari praelibati A. R. Patris Provincialis hujusmodi petitioni lubens annuere, per idque vestigia majorum sequi, et per inde Gloriam Dei augere cupiens, seu ex rationibus praemissis, seu vero quod praefatus Sacer Ordo, in praenominato oppido Paks, jam praescripto jure mansionis gaudeat, in petitam novae Ecclesiae, ac una Residentiae, aut Conventus quocunque tempore inchoandam structuram, quantum partium mearum,

meorumque cointeressatorum, veluti totius fati Oppidi Paks alioquin magis potiorum Haereditariorum perpetuorum Dominorum terrestrium interest, de absolutoque jure Dominali interesse poterit (absque tamen Juris Dominalis evenibili aliquo praejudicio) non saltem annuo, reliquive Cointeressati mei pariter annuunt, et benevolum praebent assensum, unaque consensum; imo insuper, quod si locum modernae Residentiae pro aedificanda Ecclesia, augendaque Residentia, vel Conventu minus capax esse videretur, et vicinis fundis quantum necessarium comperiretur, erga bonificationem Domorum Incolis, et inhabitatoribus rite praestandam, ope, et auxilio Dominali eo applicandis, deesse haud volumus, harum vigore, et Litterarum testimonio mediante. Pestini die 20. Septembris 1752. (L. S.) Josephus Rudnyánszky.

Alterum scriptum est episcopi Klimó :

Religiose in Christo Frater Pater Praesidens! Circa Capellam, pro qua instat, non solum R. P. Provinciali vestro, sed etiam ipsi, cum apud me constitueretur, indicavi ut nimirum, ubi decenter parata, et necessariis instructa fuerit, Missae in ea Sacrificia celebrari possint. Quod itaque noviter ratione ejusdem ad me recurrat miror. Quare licentiam, quam jam dederam, confirmo, modo ea adsint, quae fieri debent, et possunt, tum ad Divinum cultum propagandum, tum etiam ad Populi devotionem augendam. In quo dum conscientiam suam oneratam volo, una spero, mentem meam adimpletum iri. Qui Paternam Eidem benedictionem impertior, et maneo Nádasd die 26. Martii 1759. Benevolus Georgius Episcopus.

Sacellum praememoratum erat *S. Emerico Duci* dicatum, cujus effigies celebris picturae fuit arae im-

posita, infra hanc *Jesulus*, nitide *adornatus*, infra *Jesulum fulgidum tabernaculum*. *Ara lateralis ad cornu epistolae S. Joanni Nepomuceno dicata.*⁶⁾

In synodo anni 1714. ita legitur: „*Venerabilis Pater Franciscanus a Buda appellatus, Provinciae Bosnae Argentinae, qui in oppido Földvár habet Residentiam, quo quidem in oppido est Ecclesia Abbatialis B. M. Virginis, (?) quae tamen est desolata. Idemque Parochus Franciscanus administrat oppidum Paks, cum Ecclesia diruta, olim celebriore.*“⁷⁾ Videntur P. P. Franciscani hanc parochiam usque ad annum 1721. administrasse.

Anno 1722. visitator canonicus isthic 23. Febr. constitutus sequentia refert: *Oppidum Paks est Dominor. Francisci Daróczy de Király-Darócz, Incl. Cottus Tolnen, vice-comitis, et Georgii Száraz, excels. cancell. c. r. aul. referendarii. Ecclesia in colliculo situata et orienti suo sanctuario obversa, exstructa ex tegula usta, dicata honori Exaltationis S. Crucis, amplitudine sua quondam nobilis, cujus sanctuarium demto fornice, in suis parietibus integrum, ex parte meridionali rima notabili fissum; navis templi in sua structura est plurimis rimis scissa, ac etiam in parietibus quibusdam diruta, et quidem signanter ex parte septentrionali statim a sanctuario ad ipsa fundamenta ad passus 13., ex parte meridionali ad passus 6. Porta septentrionalis, seu ingressus templi, est notabiliter fracta; pro nunc autem ipsum sanctuarium in arcu suo tegulis coctis obstructum, et arundine connectum deservit pro divinis, in quo sacro-sanctum Missae sacrificium celebratur sereno videlicet tem-*

⁶⁾ Pavich: *Ramus viridantis Olivae* II. 379. et seq.

⁷⁾ Péterffy II.

pore, pluvioso autem in domo praelibati Dni Vice-Comitis. In se continet lateritium altaris pedem, super quo existit tabernaculum, ex rubro Spallier extractum, ubi et SSmum in calice aereo conservatur. Lateraliter appositae sunt imagines chartaceae et candelabra cum canon. tabellis, terminatum autem est ipsum tabernaculum Cruce ex aurichalco formata. Huic supereminet imago Beatae Virginis Passaviensis, non manu Apellis picta, habens partibus ab utrisque chartaceas icunculas, aram adumbrantes. Celebratur super altari portatili, absque impositis reliquiis, decussa siquidem consecratione, neque aliqua consecrationis signa in eo dignoscuntur. Commissum est loci parcho, ut, cum haberet aliud Franciscanus Bosnensis, eodem uteretur. Haec ecclesia pro tunc habuit in parata pecunia 56. fl. item ex frumento, quod dominium cessit ecclesiae, 148. cubulos, in domo Dni Száraz conservatos. Ludimagister fuit tunc in Paks *Franciscus Kasza* annor. 32. Numerus animarum fuit: cath. 700. Helv. conf. 150. Luterani 12.

Anno 1729. 24. Martii iterate visitatur parochia oppidi Paks, sub dominio Illmi D. Georgii Száraz Personalis praesentiae regiae in iudiciis locumtenentis, et Perill. ac Generos. D. Francisci Daróczy (ut supra.) Hac vice modice laetius de ecclesia refertur: Ecclesia sub titulo Exaltationis S. Crucis in medutullo oppidi, ex vetustissimis ruderibus anno 1722. reaedificari coepta, satis capax, ex lapidibus et coctis tegulis intermixtis, sanctuarium ad orientem positum, cum reliquo corpore foris et intus decrustatum, dealbatum, quinque illuminatur fenestris; tecto super trabes transversim positas, absque tabulato, ex scandulis confecto protegitur. Turriculam habet super por-

tam ad occidentem ex lignis et asseribus, forinsecus colore rubro tinctis consortam, in qua campanula pendet, benedicta condam ab Illmo Dno piaie mem. Mathia Radonay episcopo Quinqueecclesiensi. Adjacet huic ecclesiae sacristia ex parte septentrionali, coctis ex lateribus constructa, sed copia inundantium imbrium adeo diluta, ut proxime futuram ruinam spiraret, neque cum securitate aliquid ibidem asservari queat.

Altare unicum est in sanctuario, labore commo statuarii, absque omni picta imagine, in cujus medio super tabernaculum est statua Domini in Cruce patientis, a dextris ejus medias inter columnas, in mensura virilis staturae principis Apostolorum et *divi Francisci* Seraphici, a sinistris Pauli doctoris gentium et *divi Georgii* militis et martyris, superne Divina Trias in figuris efformata medium tenet; supreme terminat opus Princeps militiae coelestis cum bilance, cui vicina in latere dextro Sophia cum gemellis, et Angelus alatus in cornu sedens, alter item tubam sinistra tenens; in sinistro autem latere diva Catharina cum duobus itidem Angelis, Fabrica haec in se continet columnas octo, radios insuper scissuras affabre superinductas, sed omnia naturalem ligni colorem retinent, excepto tabernaculo arcularia manu efformato, quod rubeo et viridi colore tinctum est. Cathedra in sanctuario ad cornu evangelii, arculario labore ex asseribus in nativo colore permanentibus constructa, quatuor columnis ornatur, item prominet ex ea brachium divi Francisci, Dominum Cruci affixum servans. Reliqua ornamenta ecclesiae in parietibus sunt imagines variae, nominanter duae statuae Gratiarum Matris Mariae, vestibus ornatae, unius in

ornamentis curam gerit natio hungarica, alterius vero germanica. Item statua una S. Jacobi Apostoli, item Dolorosae Matris, una colorata, altera sine coloribus; pariter dilecti Discipuli Joannis. Alibi ordine collocatae sunt statucae Beatissimae Virginis, thaumaturgi Joannis Nepomuceni, et Francisci Xaverii, item statua resurgentis Christi. In pariete meridionali est imago SS. Trinitatis, cum aliis figuris SS. Auxiliatorum, ex voto Perill. Dominae Sophiae Fiáth, consortis Dni Francisci Daróczy oblata.

In hac ecclesia celebratur in portatili, cui reliquiae SS. Fructuosae et Reparatae MM. inclusas esse compertum est. Chorus satis capax super quatuor columnas erectus, nondum perfectus. Subsidium pecuniarium ad erigendam hanc ecclesiam erat partim ex pia liberalitate elemosynas contribuentium, partim ex collatione 40. fnor. ab Incl. Cottu Tolnensi; prae-libatus Illmus Personalis 90. fnis exsolvit murarios, alios laboratores exsolvendo partialiter subvenit P. D. Vice-Comes Franciscus Daróczy, conferendo 24. fl. verum ex altera parte sibi refusionem fecerunt, ambo ex asseribus et scandulis resultantibus participantibus cum injuria ecclesiae. Fabricam arae ex integro persolvit I. Comitatus ex communi cassa in 30. fnis. — In clenodiis citra alia habuit ecclesia monstrantiam ex cupro, sed inauratam, superne radiis adhaesit effigies Dei Patris, a latere utrinque duorum Angelorum ex argento, fictitiis lapidibus ornata, ex pia liberalitate dominae Sophiae Fiáth 30. fnis comparata. Calices tres, quorum duo cuprei, unus agit vices ciborii, tertius argenteus accessit ex pia liberalitate dominae Catharinae Fördös, consortis piae mem. domini Joannis Fiáth 60. fnis procuratus.

Domus parochialis infra ecclesiam passibus fere 20. ad meridiem in colliculo, intra cincturam ex sepimentis spinis armatis, cum area ampla cingitur, frontispitio respicit occidentem. Cella vinaria per auditores effossa, trabibus quercinis superinductis, et tecto ex arundinibus colligato cooperitur; sunt etiam alia receptacula pro equis et aliis pecoribus cornutis. Hortos parochiae adjectos pro oleribus et aliis viridariis satis amplos numerat duos, utrumque cincturae domus vicinum.

Notandum praeterea venit sacellum in proxime adjacentis montis supercilio positum, saepememoratae dominae Sophiae Fiáth sumtibus ex tegulis coctis, commode pro celebratione ss. Missae sacrificio, sub fornice ex materia consimili, scandulis tectum, anno 1725. per gen. vicarium Georgium Kapucsi benedictum, dicatum honori Jesu, Matris ejus intemeratae Mariae et S. Annae. Celebratur non raro ibidem sacrum, sic volente domina perillustri. Huic sacello vicinum est coemeterium, in quo hactenus promiscue fidelium corpora cum exuviis hereticorum simul humabantur. Nunc revisione loci facta, limites constituti sunt, quos transgredi reformatis nefas erit.⁸⁾

Conscriptor anni 1733. fere omnia ea consignat, quae visitator anni 1729. abunde concinnavit, ejus itaque connotationibus recitandis supersedemus. Ludimagistrum nominat, qui fuit *Adamus Szvacsek* annor. 30.

Visitator anni 1755. haec exponit: Ecclesia oppidi Paks ex solidis materialibus partim ex elemo-

⁸⁾ Haec et plura alia sedule connotavit Alexander Fonyó, p. t. v. a. d. et parochus Tamásiensis, anno 1729. parochias comitatus Tolnensis visitans.

syna, partim vero impensis fidelium oppidanorum noviter cum fornice erecta; honori *S. Joannis Nepomuceni* dicata, nec tamen consecrata, aut dotata. Habet altaria tria, majus ex picta praedicti ecclesiae Patroni icone, et minoribus chartaceis imaginibus constans, lateralia ad utrumque cornu altaris majoris situata, non absimilia majori ex pictis partim, partim chartaceis icunculis, super solidis mensis consistentia. Interpositis aliis prosequitur visitans episcopus: Hac visitatione mentione super terris arabilibus injecta monitum dominium exstitit, quatenus fundamento etiam benignae resolutionis regiae, per hunc incl. comitatum publicatae, ipsisque dominis terrestribus bene cognitae, tum vero etiam propterea, quod loci praedicans helv. confessioni addictorum 12. metretarum Poson. araturam habeat, terras arabiles decem a proportione helv. conf. praedicantis cubulorum capaces excinderet. Pars dominorum, utpote domini Daróczyani promptos se eatenus exhibuerunt, declararuntque se terras parcho excindendas prorsus non difficultare, imo etiam ex parte sua excindere velle; contra vero familiae Szárazianae successorum praesentes fiscalis et provisor obtendebant hanc rem impraesentiarum eo in practicabilem esse, quod sperarent propediem divisionem intercessuram, ac cum sciri non possit, quae nam pars cui obventura foret, talem excisionem, si etiam nunc fieret, stabilitatem nequaquam habituram.

Observatum fuit, nonnullas expensas ex cassa communitatis, signanter autem in dari solitum tum parcho, tum vero etiam ministro helv. conf. majalem, fieri; item ex communitatis foeno, parcho catholico sex foeni currus, ministro helv. conf. quatuor prae-

stari. Cum autem benignarum resolutionum regiarum ordinatio sit, ut neque populus catholicus ministris acatholicis, neque acatholicus catholico, ubi hic exercitium habet, quidquam praestet, sed et magna praestationis hujus improportio inde eruatur, quod populi helv. conf. nonnisi quinta pars hic loci secundum ipsorum incolarum recognitionem reperitur; eapropter ut proportio hac in parte justa observetur, neque Catholici pro parte ministri helv. conf. graventur, cum consensu etiam ipsorum dominorum terrestrium et praesentium officialium adinvenitur: ut in futurum parochus catholico praestentur currus foeni nro 8. ministro autem helv. conf. duo, salvo relicto eo, si quid populus helv. conf. de proprio, ministro suo praestare velit. Et siquidem pro majalibus utriusque, parochus scilicet catholico, et ministro helv. conf. pariter per sex florenos a communitate praestari solitum fuerit; insuper parochus catholico unus salis centenarius a fl. 3. aestimatus praestabatur, quod insimul sumtum faceret 15. fl., ut in eo quoque justa proportio fiat, pariter constituitur: ut parochus catholico pendantur 12. fl. in vicem majalis, ministro autem helv. conf. remanentes 3. fl. — Rector scholae eodem anno fuit *Antonius Szalay*; minister autem helv. conf. Stephanus Lengyel, patria Weszprimiensis, qui eotum jam 18. annis ministerio suo fungebatur.

Anno 1783. Antonius Simonovics p. t. parochus loci de ecclesia parochiali sequentia connotavit: Ecclesiae structura murata est. Existente ejus antiquo sanctuario, navis e solidis pariter materialibus anno 1749. sumtibus dominorum compossessorum, potissimum autem incl. familiae Rudnyánszkyanae quidem adjecta est, verum adeo debiliter, ut fornix, qui alio-

quin improvise corruisset, debuerit decedi, et sic sanctuarium eorum fornice provisum, navis vero nudas duntaxat exhibens trabes. Stratum jam penitus destructum, altaria, chorus maximam desolationem praeseferebat, multa reparatione quod indiguerit, patebat. Posteaquam ecclesia haec tantam desolationem praeseferebat, praecessor parochus Paffán elemosynam indefesso suo conatu, a miseris parochianis longo tempore colligens, imo et proprii aeris adjutorio, ecclesiam ad praesentem bonum statum anno 1776. deduxit. Sanctuarium quod nullam prorsus proportionem propter suam magnitudinem exhibebat, sub fornice poni, stratum, aras laterales fieri curavit. Reliqua vero, quae apparent, utpote scamna, postes marmorei in duabus portis, altare marmoreum, me existente sunt curata. Insuper ara major, quae imaginem *Inventionis S. Crucis*, cum adstantibus binis statuibus SS. Petri et Pauli, ac ipsam figuram arae praefert, collecta per me domatim a miseris parochianis meis elemosyna, cum superaddito ex proprio mar-supio meo, quod deerat, aere, excitata est. Ex quibus perspicere licebit: dominos terrestres, caeteroquin jus patronatus praetendentes, exiguas prorsus partes, sive in erectione, sive in instructione ecclesiae habere; imo fateri ausim: a quo hic sum, unico domino Fischer excepto. qui et domino canonico Paffán pro fabrica ecclesiae, et mihi pro instructione, largam nonnunquam dedit elemosynam, me a nullo prorsus alio, titulo elemosynae vel cruciferum percepisse. Haec ecclesia pro tunc duas aras laterales habuit, unam B. M. V. alteram S. Aloysii, habet in longitudine 23. in latitudine 6. orgias.

Continuat idem sedulus curio: Habentur isthic

duo sacella, unum in fine oppidi, quo versus Földvár itur, in honorem *S. Rochi*; aliud in alio fine, quo Tolnam versus proficiscimur, in honorem *S. Vendelini*, auctoritate p. m. Sigismundi Berényi eppi, impensis communitatis, ex crudis materialibus erectum. Visitationis autem anni 1828. instrumentum ita habet: Sacellum ad finem oppidi versus Kömlőd (resp. Földvár) honori SS. Rochi et Sebastiani dicatum, anno 1746. propriis sumtibus Davidis Pammerschin aedificatum, alterum in principali platea versus Tolnam, aequè anno 1746. per Henricum Hafner erectum. Habetur etiam sacellum in monte Calvariae, 1809. structum, ubi est et coemeterium. — Hoc ultimum sacellum videtur non multam tulisse aetatem, nam die 17. August. 1822. Antonius Egyed, p. t. parochus loci orat facultatem benedicendi sacellum in monte Calvariae, unaque chirographum communitatis de conservatione capellae submittit. His accessit recentiori tempore in novo coemeterio novum sacellum titulo *Resurrectionis D. N. J. Ch.*

Praefatus Antonius Simonovics de patronatu in Paks verba faciens, haec chartae mandavit: Jus patronatus praetendit incl. domas Rudnyánszkyana; sed cum familia Daróczyana eidem jus neget, episcopus dioecesanus parochiae providere consuevit: proinde quod nulla ex his familiis, sed neque simul sumtae in usu praesentationis hactenus fuerint, id certum est, siquidem nullum ostendere possint, quem una, vel simul utraque familia praesentasset, imo Joannem Lepenyei post fata parochi Joannis Manhalt per incl. domum Rudnyánszkyanam fuisse pro hac parochia praesentatum, eum nihilominus per denatum p. r. eppum Georgium Klimó acceptatum haud fuisse, fide

digne constat. Profecto jus patronatus utraque familia scit praetendere, sed ubi parochus sive pro ecclesia, sive pro domo parochiali, aut pro aliis ecclesiae occurrentibus necessitatibus modalitate debita quid petierit, obduratis auribus, sine effectu eum dimiserunt.

De domo parochiali idem refert: Domum parochialem curavit erigi pie in Dno defunctus parochus Joannes Manhalt,⁹⁾ ea cum conditione, ut communitas hujas ei omnes expensas refundere debeat ac teneatur; quae refusis ex parte sumtibus, teneretur adhuc solvere 150. fl. Domus haec fundamenta e tegulis, reliquum corpus e crudis lateribus habet, quam communitas satis diligenter conservat. Sed actu posita est praefata domus in statu misero, siquidem cornu unum domus, plateam respiciens, et murus dormitorii, quamvis ferreis ligaturis firmatus habeatur, ruinam actu minetur. Statui est prorsus incommoda, si praesertim accrescente, prout coepit, populi numero, alterum etiam cooperatorem assumere debeat parochus. Cubicula universim, cum familiae cubiculo, habet quatuor. Eandem hactenus misera communitas, accidentibus quandoque parochi sumtibus, cum domini terrestres nihil prorsus sive pro conservatione, sive ejus reparatione conferre velint, conservavit. Imo posteaquam *anno 1777. die 16. mensis Augusti domus haec, una et res meae fatali incendio in cineres fuisset redacta*, partim literarie, in persona partim enixis precibus omnia dominia requisivi, ut sumtis in considerationem illis enormibus damnis, quae non solum

⁹⁾ Ergo non est anno 1710. erecta, uti erronee habet visit. anni 1828. et post illam schematismus dioecesanus. Cui bono fuisset anno 1710. domus parochialis, ubi parochia nonnisi anno 1721. erecta exstitit.

ego, utpote initians eotum, sed et miseri eorum subditi perpeSSI sunt, pro sublevamine subditorum in erectionem aut reparationem domus parochialis aliquid conferre velint. Verum adeo duros semet ostenderunt, ut nequidem unam tegulam resolverint. Tandem iudex et jurati ad singulum par 1. fl. ejectarunt, ego vero pro inducenda meliori forma, aliisque multis reparationibus ex bursa mea, utut prope in 1000. flnis damnificatus, resolvi.

Catalogus parochorum :

I. Joannes Josephus Chitári, anno 1676. natus, fuit alumnus seminarii S. Stephani Reg. Tyrnaviae, subin presbyter archidioecesis Strigoniensis factus, administravit 1704. parochiam in *Ujlak*, 1707. in *Üzbégh*, 1710. in *Ürméncz*, unde 1714. transfertur ad *Nyitra-Pereszlény*. Mense Augusto 1721. clero nostro adlectus, deposito in manibus episcopo Wilhelmi Nesselrod juramento, per capitulum investitur quidem, sed non installatur parochus in *Paks*, isthinc in Junio 1725. motus, (uti collimari potest,) ad *Bonyhád* translocatur.

II. Michael Josephus Jaduda, disciplinas sacras ut alumnus dioecesis nostrae Tyrnaviae in seminario S. Adalberti condidicit, ad *Paks* 25. Junii 1725. ut parochus missus; fuit sedulus in exequendis muneris sui partibus, adeoque populo sibi concredito amabilis et charus; post 6. annorum effluxum ad proprium desiderium 25. April. 1731. parochiam in *Hosszu-Hetény* obtinuit.

III. Josephus Szent-Balásy, nobilium parentum, Georgii quippe ac Helenae filius, die 29. April. 1699. *Viennae* in Austria prognatus; studia humaniora ibidem, item *Jaurini* et *Posonii* tractavit, audita ut alumnus *Strigoniensis* philosophia et unius anni theologiae parte in collegio *Pázmaniano*, renunciatur ibi baccalaureus philosophiae, et mox magister congregationis B. M. Virginis *Viennae* et *Posonii*. Dein commendatus ab archiepiscopo *Strigoniensi* et ejus vicario Romam 19. Octob. 1718. venit ad collegium S. Apollinaris, ubi theologiam condidicit et ex eadem doctoratum sustulit; optime satisfaciens omnibus, qua ordinatus subdiaconus 22. April. 1721. revertitur in dioecesim suam.¹⁰⁾ Ubi per decennium commoratus sit, ignoratur, anno autem 1731. in *Paks* comparuit, fideles hujus parociae usque *Majum* 1734. pascens, eo tempore disparet, quin sciatur, num mortuus, vel inde digressus sit.

IV. Alexander Czimeg, studiis solutus illico cum fine *Maji* 1734. in *Paks* applicatur ut parochus, quem locum unã cum vita mortali deseruit 1739. 5. Julii, anno aetatis suae 31. cujus funus die 7. e. m. *Martinus Kapuváry* canonicus honorarius et parochus *Tolnensis* in praesentia plurimorum sacerdotum comitatus, simul sermonem funebralem dixit, celebrante solempne Requiem *Adamo Montsek* parocho *Faddensi*, qui lingua slavica dixit ad concionem. Hujus parochi ab intestato mortui massae pars vigesima pro necessitatibus dioecesis sequestrabatur. Post illius fata *Franciscus Daróczy* unus dominorum terrestrium jus parochum

¹⁰⁾ Annal. Collegii Rom.

praesentandi praetendebat, cui vicarius generalis significat: jus patronatus liquidatum non patere.

V. Joannes Püspöki, post aliquot mensium intervallum motus ex *Vásárosdombó* priori successit in *Paks*, ut inquietum suum hic loci laxare pergeret animum; quem dum refrenare minime conaretur, mense Augusto 1746. ad pascendos in *Duna-Szekcső* fideles mittitur. (vid. ib. II. 539.)

VI. Joannes Nep. Manhalt, ex *Mágocs* 1746. in Augusto promotus ad *Paks*, cujus denominationi domini terrestres L. B. Rudnyánszky et Ludovicus Daróczy obsistentes parochum ab ingressu templi arcent; Manhalt nihilominus per superioritatem ecclesiasticam confirmatus, 4. Januar. 1747. investitur. Solertissimus hic in vinea Domini operator per 15. annos putationem ejusdem vineae exsecutus non modo fideles ad virtutem pietatemque inflammando, et ad salutis tramitem ducendo ac cohortando profuit Christi ecclesiae, sed insuper etiam ipsum templi parochialis in oppido Paks aedificium e pristino squalore eduxit, dum istud incolarum quidem labore ac sudore, ast potissimum industria sua et directione ex integro partim restauraret, plurimum vero e fundamentis excitaret, intus novis aris, sedibus ac vexillis ornaret, foris vero nova turri ac pulsu campanarum ditaret. Ulterius ejusdem conameu nefaria implacabiliter disruptit mors, die 2. April. 1761. horis vespertinis eum inopine enecans, dum ageret annum aetatis 61. — Exequias solennes dominica 2. post Pascha in quintam Aprilis incidente servavit *Stephanus Szabó* proto-notarius apostolicus ac parochus *Kajdacsensis*, assis-

tentibus sibi *Joanne Lepenyei* (Lethenyei) parocho Pinczehelyensi, *Emerico Jakobovics* coenobita montis S. Jacobi p. t. administratorem parochiae in Böleske agente, *Emerico Halassi* cooperatore Földvárensi (sacerd. Strigoniens.) et patribus Franciscanis. Deportato comitantibus dominis etiam terrestribus ac ingenti plorantium fidelium multitudine ad ecclesiam funere, sermonem funebralem Joannes Lepenyei lingua patria ex ambone habuit, lithurgiam vero ductor exequiarum decantabat; quibus terminatis cadaver ad cryptam in ecclesia exstructam ante crates dexteræ partis arae repositum exstitit. Anno 1766. Martinus Manhalt frater defuncti parochi praetendit 55. oves, quas jam anno 1747. fratri suo dederat. Unde, cum is mediante trifaria divisione jam 116. fl. acceperit, ex finis 112. apud officium vicariale depositis adhuc 55. fl. eidem extradantur.

VII. Josephus Joachim Wittmann; antea in *Czikó*, tum in *Bonyhád* parochus, siquidem vero qua talis in Junio 1761. ad *Paks* transpenderetur, incolae oppidi per dominos terrestres concitati illum recipere recusant, nec unicum mittentes ad *Bonyhád* pro reculis ejus deportandis currum. Parochiae moderamen occipiens in bona cum fidelibus pace vixit, renunciatus 1762. 29. Octobr. districtualis v. a. d. 17. Nov. adjuratus; mox etiam canonicus honorarius, anno autem 1768. stallum et votum in capitulo Quinqueecclesiensi obtinuit, die 28. Nov. installatus. Per idem capitulum 12. Novembr. 1773. seminarii praefectus, mox vero 31. Decemb. e. a. unanimi capitularium voto decanus eligitur, dumque Andreas Országh lectoratum cum cantoratu commutasset, per episcopum

Klimó 7. Dec. 1775. Wittmann nominatur lector capituli. Abdicato 17. Junii 1776. decanatu, eodem anno, die vero 1. August. vitae quoque mortali nuncium mittere coactus, anno aetatis 52. in ecclesia cathedrali tumulum accepit. In eadem ecclesia cathedrali habet foundationem 210. flnor. a. v. ex cujus interusurio 5. sacra lecta quotannis absolvuntur. Parochiae Paks reliquit vineam cum obligatione decantandi anniversarii, et absolvendi sacri lecti. Alteram eotum accepit parochia vineam post Antonium Krisztl incolam Paksensem, cum simili onere.

VIII. Elias Ignatius Paffán, initio anni 1769. in qualitate administratoris ad oppidum *Paks* missus, dignitate tamen vice-archidiaconali decoratur, circa finem anni 1773. ut parochus investitus. Die 3. Febr. 1777. honorarius canonicus renunciatus, cum fine mensis Martii ad regendam in *Duna-Földvár* parochiam transiit, (v. t. II. 662.) unde post 13. annorum decursum ad actualis canonici stallum sublimatur. Ejus foundationes cum suis titulis novo hoc schemate exhibentur: In ecclesia cathedrali pro uno Req. cant. 840. fl. — ecclesiae Bonyhád pro absolvendis sacris 420. fl. — pro aequali scopo Franciscanis Földvárensibus 210. fl. — item parochis in Földvár et Paks 210. fl. — pro stipendiis studiosorum gymnasii Quineecclesiensis 2520. fl. — hospitali Bonyhádensi, Földvárensi, Faddensi, singulo 420. fl. = 1260. fl. — pro fundo viduarum et orphanorum 8867. fl. aust. valor transscripsit.

IX. Antonius Simonovics, *Pestini* 1747. parentibus Josepho et Magdalena ortum habuit, ubi inferi-

ores scholas frequentavit, absolvens sacratoris scientiae annum unum Quinque-Ecclesiis, pro hac continuanda per episcopum Georgium Klimó Tyrnaviam dirigitur, ubi assumpto praevis in candidatura magisterio philosophiae, tertio anno theologiae, expensis Emerici Christovich praepositi majoris Quinqueecclesiensis ac vicarii, parvum actum theologicum habuit, quarto anno theologiae universam hanc scientiam sacram sub auspiciis et expensis praefati praepositi majoris defendit; ac tandem obtenta approbatione pro suprema theologiae laurea jussu praelati sui tentamina ex haebrea, graeca, scriptura sacra et canonicis fecit; quibus feliciter terminatis Quinque-Ecclesias rediit, mox ad *Hímesház* disponitur cooperator, evoluto anno administrator in *Kátoly* nominatus, ibi semialterum annum exegit; subin pro actuario vicarialis officii assumptus, professorem quoque ss. rituum in seminario egit, consummatisque in his officiis prope quatuor annis pro administratore parochiae *Paks* 1777. mense Martio designatus, 4. April. in manus Andreae Országh juramentum deposuit. Expost dum vicarius capitularis Georgius Nunkovics observaret, quod domini terrestres in Paks, cum primis familia Daróczyana, perperam jus patronatus sibi arrogarent, et neque in usu praesentationis unquam fuerint, viro huic praestanti post elicítum novitus 5. Octobr. 1778. fidelitatis votum investituram impertiit, per Ignatium Paffán v. a. d. Földvárensem solenniter introducendo. Parochiam istam inter varias difficultates et anxietates sibi a dominis terrestribus allatas in duodecimum annum curavit; dum vice quadam exhilarandi animi causa ad patronum suum Emericum Christovich eppum Csanádensem diverteret, in episcopali oppido

Makó lethali morbo correptus vitae ultimam attingit metam 1788. 15. Augusti, annum vitae agens 41. ibidem in ecclesia parochiali sepultus. Testamentum ejus legali solemnitate destitutum, vim tamen quoad pia legata nactum, domi in armario repertum sequentia continet pia legata: ecclesiae Paksensi 300. fl. — Kátolyensi 50. fl. — Sz.-Erzsébetensi 25. fl. — pro se et parentibus anniversaria observanda 100. fl. — pro 100. sacris in ecclesia parochiali Paksensi absolvendis 50 fl. — pro 50. apud PP. Franciscanos ejates celebrandis missis 25. fl. — fundo religionis 25. fl. — — cassae deficientium 10. fl. — pauperibus in Paks 50. fl. — ostiatim mendicantibus 25. fl. — Bibliothecam suam parochiae reliquit.

X. Michael Simonovics, germen arbis *Quinqueecclesiensis*, ubi 1759. 25. Septembr. in mundum prodiit, cujus progenitores Andreas et Catharina nobilitate praediti ex comitatu Crisiensi in Croatia, et quidem e statu militari ortum traxere. Humanioribus Quinqueecclesiis terminatis pro philosophia discenda Budam contendit, theologiae vero uno anno in domestico seminario, ex post vero per quadriennium Budae operam impendit, ubi, obtenta praevie a superioritate sua mense Octobri 1782. facultate, ordines subdiaconatus et diaconatus suscepit, ad presbyteratum 1783. 19. Septembr. feria 6. quat. temp. promotus. Licet pro cathedra professoris in seminario destinaretur, cum ss. theologiae doctoratum reportasset, sublatis nihilominus seminariis dioecesanis cooperatoriis officium arripere cogitur; qua talis in *Szigetvár* inserviens evocatur 1787. 24. Martii ad aulam pro secretario vicariali, post fata praedecessoris vero parochus in

Paks nominatus, 13. Septembr. 1788. investitur. Fuit vir non vulgaris scientiae, in muneris sui partibus exequendis accuratissimus, idcirco 28. August. 1797. vice-archidiaconus districtualis constituitur. Die 28. Febr. 1817. titulum abbatis vel praepositi sibi conferri petiit, quem tamen non assequitur, sed paulopost ad extremam lineam pervenit; dum enim nonum supra viginti in hac parochia ageret annum, morbo correptus in Aprili 1817. *Pestinum* pro restauranda valetudine properavit, ubi die 26. mensis Maji ex catalogo viventium deletur, anno aetatis 58. — Sub hoc parcho 1789. 31. Martii clausa et sublata fuit residentia PP. Franciscanorum in *Paks*, pro qua executione parochus Földvárensis Ignatius Paffán exmissus fuit.

XI. Joannes Bregovics, lucem mundanam 1779. 10. Octobr. in *Duna-Földvár* aspexit progenitoribus Joanne et Elisabetha; post cursum studiorum Quinque-Ecclesiis terminatum, 7. Nov. 1802. dominica 22. post Pentecosten recurrente ad sacerdotium assumitur. Postquam cathedram historiae ac juris ecclesiastici ultra 11. annos praeclaris suis praelectionibus collustrasset, parochus in *Paks* nominatur, die 3. Junii 1817. adjuratus, unaque v. a. d. renunciatus; quam paroeciam dum in quintum annum gubernaret, praepropera morte per pulmonum incensionem extinguitur 1822. 5. Februar. anno aetatis 43. sepultus in communi fidelium coemeterio, ut ipse desideraverat. Testamentaliter reliquit 25. fl. pro totidem sacris lectis statim post obitum suum persolvendis; — pro scholastica juventute Földvárensi 100. fl. erga interururium elocandos; — pro pauperibus 300. fl. et quidem dimidium Földvárensibus, aliud Quinque-

ecclesiensibus ; — cassae deficientium 50. fl. — pro anniversario in refrigerium animae suae Földvárini observando 100. fl. item totidem pro anniversario suorum parentum. Testamentum istud adhuc 1811. 27. Octobris conditum in defectu recentioris ratihabitu fuit.

XII. Antonius Egyed, ex parochia *Bonyhád* ad istam in oppido *Paks* translatus 1822. 9. Martii investitur; isthinc initio Septembris 1829. ad *Duna-Földvár* promotus.

XIII. Sigismundus Ludovicus Daróczy de *Király-Darócz*, hujus oppidi *Paks* filius, praenobilibus parentibus Josepho Daróczy compossessore, ac Maria Kornis 1801. 14. Martii progenitus. Humanioribus Colocae, philosophicis Agriae, theologicis vero in seminario S. Pauli imbutus, ordinatur ad titulum dioecesis Quinqueecclesiensis presbyter *Diakovarini* per illius loci episcopum Emericum Carolum Raffay 1825. 26. Julii, mox dispositus ad *Babarcz* pro cooperatore; isthinc 1829. 1. Septemb. administrator, die autem 1. Januarii 1830. ordinarius parochus oppidi *Paks* renunciatur, 1835. 24. Septemb. honorarius, anno autem 1844. actualis capituli Quinqueecclesiensis canonicus nominatus mox parochiae cathedralis ecclesiae administrationem suscepit, decoratus 1846. titulo abbatis S. Helenae de Földvár. Annis memorabilibus 1847. et 1848. interfuit qua ablegatus capituli comitiis regni. Ceu solertissimus oeconomus ternis vicibus decanus capitularis constitutus, operi regulationis bonorum capitularium intentus, his per coarctatas feliciter aquas damniferas plurimum profuit. Anno 1850. archidia-

conus Tolnensis, 1851. cathedralis, 1854. cantor, anno autem 1858. lector capituli creatur, praelatus simul domesticus suae Sanctitatis Pii IX. nominatus, tandem 1863. vicarius generalis nec non causarum auditor constituitur. Fuit vir omni ex parte elegantissimus, in re domestica splendidissimus, in provehenda tam propria quam et capituli oeconomia plane infatigabilis. Ex levissimo in pede per frictionem orto vulnere lethaliter decubuit, inter paucos dies vir secus robustus consumitur *Quinque-Ecclesiis* 1868. die 7. Novemb. hora matutina 6., postridie seu dominico die circa vesperam in comitiva ingentis multitudinis, juxta proprium desiderium in communi coemeterio civico tumulo illatus. Praeter 1000. flor. capitale, quod elocari disposuit eo fine, ut ex hujus censu in ecclesia cathedrali annue unum cantatum de Requiem pro se, et unum lectum pro defunctis suis parentibus asservetur, reliquit adhuc 500. fl. ut lapides sepulchrales, tum ipsius fundatoris *Quinque-Ecclesiis*, tum parentum ejus Paksini conserventur. Pro erigenda nova in Daróczyhalma ecclesia 2500. fl., in fundum vero augendae solutionis ejatis docentis 1000. flor. capitale ordinavit. Insuper vita comite scholam Paksensem iterate notabilis summae participem fecit.

XIV. Martinus Bertics, per prius in *Fadd* solertissimus pastor, anno 1844. parochiam *Paks* obtinuit, in qua biennio necdum completo viam universae carris ingreditur 1846. 2. Junii, anno aetatis 54.

XV. Michael Virág, 1846. 2. Julii parochus oppidi *Paks* renunciatus, ibi amarum disturbiorum annis 1848.—49. propter justitiam multas afflictiones per-

pessus est. Pacis studiosissimus et vitae solitariae amore ductus, anno 1850. ad parochiam *Kövágó-Szöllös* translocari praeoptabat. — Ultima sua voluntate disposuit et ordinavit 500. fl. pro seminario clericorum, totidem pro puerorum seminario, item 500. fl. pro cassa pauperum capitulari, — 1000. fl. pro nosocomio Kaposvárensi, 500. fl. Xenodochio Quinqueecclesiensi, et 1000. fl. pro cassa dioecesana. Hoc capitale 4000. fl. destinationi suae applicabitur nonnisi post fata ejus, cujus sustentationi eousque inserviet. — Insuper elocatum habet capitale 1050. fl. pro cujus censu in cathedrali quotannis cantat. votiv. cum SSmo absolvitur, et praeterea duo lecta Requiem.

XVI. Josephus Ferdinandus Grosz, die 20. Octobr. 1816. in Gömörensis provinciae loco *Csetnek* prope Rosnaviam progenitus, patrem habuit Mathiam Grosz aug. confessioni addictum, matrem Magdalenam Gonosz, piam fidei catholicae cultricem. Patre sic disponente hic filius in oratorio aug. conf. baptisatus est. Filius accrescens Joseph, una cum quatuor sororibus, adfuitque tempus educationis prolium, circa quam eo, quod pater ultra zelosus foret pro sua confessione, exorta dissensione, diremta animorum conjunctione, domus versa est in discordiarum seminarium. Matre ex religioso animi dolore praemature mortua, filiae sponsis, et quidem tres juxta patris consilium, acatholicis elocatae, paulopost desertis Christi veris castris ad heresim prolapsae sunt. Pater loco sceptri superbiae ac pervicaciae accepit baculum mendicitatis, qui ad tantam devenit paupertatem, ut cum filiolo Josepho oberrando necessaria sibi ostiatim quaereret

alimenta. Ut autem fatigiosum hunc vivendi modum allevet, Rosnaviae apud episcopum Joannem Bapt. Scitovszky supplex exstitit, ut ad nosocomium reciperetur, quam gratiam si obtinuerit, una cum filio sacra catholica se amplexurum promisit. Petito ejus annuum praebuit bonus episcopus, et puer (jam tunc una cum patre conversus) ex nosocomio coepit scholas frequentare. Mox ut ejus eximiae animi dotes ac ingenii capacitates semet manifestare coeperunt, episcopus ipsum ad convictum in residentiam suscepit. Pater taliter a cura liberatus, et filio suo in tutum locum collocato, saepe Csetnekinum pro invisendis filiabus suis divertit, conversionem autem sui celare studuit; tandem penes unam e filiabus lethali morbo correptus vivere desiit, et per sacerdotem catholicum sepultus est.¹¹⁾ Filius Josephus postmodum Rosnaviae ad alumnorum seminarium admissus studio theologico incubuit, et qua auditor anni quarti per Joannem Scitovszky, interea ad infulas Quinqueecclesienses translatus, clero juniore dioecesis nostrae adnumeratur, emensusque ibi annum in presbyterum 1840. 26. Julii ordinatur; in oppido *Paks* cooperatorem agens *Quinque-Ecclesias* disponitur ut praebendatus cathedralis ecclesiae, inibi 1850. vice-rector seminarii constitutus, ipso eodem anno parochiam *Paks* adipiscitur. Hic loci aere alieno vehementer laborans mentis excessum passus est; sic itaque expletis in hac parochia 7. annis, corpore et animo aeger misere contabuit 1857. 28. August. aetat. 41. massam relinquens cridalem. Sepulturam ei praebuit capella Resurrectionis in 10vo coemeterio.

¹¹⁾ Haec omnia ex fonte authentico hausta habentur, nempe a pie defuncto Andrea Svéda parcho Csetnekensi communicata.

Parochus iste memoratae capellae fundamenta jecit, ubi dormitionis locum accepit, quod et marmorea in dextro capellae latere applicata tabula adcurate exhibet. Ipsa capella per successorem 1860. Dominica 3. post Pascha benedicta exstitit; cujus anniversaria memoria quotannis divinorum solenniis recolitur. Huic capellae *Carolus Gebhardt*, modernus parochus in Vókány, pro tunc adhuc in alumnatu constitutus, unam donavit campanam; ejus autem p. m. genitor *Franciscus Gebhardt*, Regi a consiliis, capellam marmoreo strato exornari fecit. Est etiam provisiva organo. Prae foribus capellae erecta habetur crux lapidea, ad cujus expensas vidua Baronissa Rudnyánszky in 100. fl. et Deo devotus incola in Paks-Ujváros Joannes Kapor, alias Till, in 150. flnis concurrerunt; exstat ibi et alia statua S. Mariae Magdalenae, utraque optimo jure celebrati sculptoris Quinqueecclesiensis Michaelis Bartalics (1879. denati) penicillo sculpta.

XVII. Aloysius Girk, Bajae in comitatu Bácsensi 15. Sept. 1817. patre Stephano Girk piscatore, matre Rosalia Fűves primam conspexit lucem; cursum literarium ibi exorsus, Colocae continuavit, absoluto Jaurini, Quinque-Ecclesiis et Szegedini cursu philosophico, theologicum Colocae cum laude delibavit. Aetate debita junior, diaconus in cancellaria dioeclesana *Colocae* uno anno adplicitus, bonas rei administrationis notitias sibi proprias reddidit; sacerdotio ad titulum ejusd. archi-dioecesis 4. Junii 1840. initiatus, post exantlatum in *Priglevicza-Sz.-Iván* et *Hodságh* qua cooperatur biennium, primum episcopi suffraganei, postmodum archi-episcopalis caeremoniarius, una protocollista renunciatus, postremo vero notarii metropolitanae sacrae sedis, et archivarii officii dioeclesani

sub tribus magnae memoriae archi-episcopis munere cum tanta exactitudine et studio recti ordinis perfunctus est, ut dum anno 1853. urgente cumprimis vicario generali capitulari Quinqueecclesiensi Josepho Farkas, patrum suum *Georgium* ad capessenda gubernacula dioecesis Quinqueecclesiensis iter ingressurum ad hanc dioecesim sequeretur, eotum archi-episcopus Colocensis Josephus Kunszt eum a vinculo archi-dioecesis nonnisi ad unum annum solverit, occasione valedictoriae mensae palam et iterate ingeminando: „*ita abeat, quasi rediturus*“; quo prae laudatus archi-praesul, qui respectu suorum aulicorum sacerdotum in evibrandis laudibus nequaquam largus erat, haud obscure innuit: non libenter amittere hominem, cujus bonum usum fecit. Non absimiliter et complures districtus archi-dioecesis Colocensis super amissione cordati commilitonis dolorem suum ope literarum concinne expresserunt. Relicta post superatum in servitio archidioecesis 13. annorum effluxum optima sui memoria nostras factus, isthic officium notarii consistorialis, una secretarii episcopalis, anno 1854. assessoris sacrae sedis, pari cum assiduitate et dexteritate quinque fere annis obiens, ad exitum anni 1857. parochiae *Paks* praeficitur, anno proximo v. a. d. districtus Földvárensis, anno 1863. examinador synodalis creatur. In parochia hac, utriusque acatholicae confessionis et mosaicae asseclis bene obsita, multa, eaque talia reperiit, quorum coordinatio insignem patientiam, assiduum laborem et masculam energiam exposcebant. Communitas catholica pro erigendo aedificio scholari 4000. flor mutuo gravata, quum ob varia impedimenta manum labori de tempore non admovisset, materialia olim pretio comparata magna

in parte direpta evanuerunt; idcirco novo parcho ad primas pertinere debuit curas, a mutuo ocyus liberari, et eo succedente ad prima regredi exordia; irremissa industria optatum tulit effectum, ita, ut post 8. annorum conamen e variis collectis donis et notabilibus parochi sacrificiis, exurgeret tandem in locum antiqui squalidi aedificii duarum classium, novum pro 4. classibus e solidis materialibus affabre eum in modum eductum, ut suo tempore et alter tractus superaedificari et etiam commode prolongari possit. Capella novi coemeterii, antea aedificari coepta, ad perfectionem deducta, organo provisa, et titulo *Resurgentis Salvatoris* dicata exstitit. Eo parcho anno 1859. domus parochialis restaurata, novis et majoribus fenestris provisa, commodior reddita est. Indicem alphabeticum omnium matricularum vastae hujus parochiae inde ab initio hujus seculi, baptisatorum vero ab anno 1775. concinnavit. Domus torcularia ecclesiae, vinea gaudentis, ruinam minans bene renovata. Omnes sane eo convertit sollicitudinis sudores, ut oves e recentibus ad aeterna pascua dignae reddantur, in domo Dei nitor et rectus ordo servetur, tenuta ecclesiae ac parochiae bene manuteneantur. Die 29. Octobr. 1867. per suam Majestatem Parisiis agentem in actualem capituli nostri canonicum renunciatus, per p. m. Praesulem regendae parochiae cathedralis ecclesiae admovetur, qui post plene exactos 10. annos inter splendide testata suorum adusque fidelium Paksensium adhaesionis argumenta locum successori cessit.¹²⁾

¹²⁾ Quanta cum animi lucta et conscientiae teneritudine p. m. Praesul processerit in proponendo viro optime merito, ne vel eminus nepotismi argui possit, repandunt duo autographa documenta. *Josephus Kelemen* praepositus major, vir inanes ventos aucupari nescius, autumando episcopi sciscitationem, huic Budae commoranti sub ddo 29. Maji 1867. haec scribit: „Excellentissime etc. Circumstantiae Capituli nostri Ex-

Mox ac se novis curis de innata sibi laboriositate subdiderat, altero anno mors p. m. Praesulis inter- venit, cujus scriptae ultimae voluntatis, quam novis- sime fiscus regius post 11. annos via juris infringi et valore suo exui urget, alter testamenti executor con- stitutus, ampliores labores iis humeris, qui de morte Praelati, et canonici lectoris Sigismundi Daróczy tribus septimanis praecedente pariformi confidentiae munere jam sat superque gravati erant. Anno 1870. 17. Januar. Tolnensis, die 22. Nov. e. a. cathedralis archidiaconus installatur.

Inamoena mox ordinariatum inter et eum erum- pente differentia, quam praecipitantia sicuti in accu- sando, ita in excusando acerbiorem reddiderat, locum residentiae ad tempus excedit, et subinde actione ad amissionem beneficii usque ad suspensionem a sacris convenitur, ad cujus tamen primam prosecutionem electi in vim altioris iudicii ab utrinque arbitri ver- tentem quaestionem unanimi voto in favorem Cano- nici dirimentes, liti aculeus decussus est. Caeteris phasibus et animositate quorundam serviliter colla- borantium, (quibus caeteroquin gratitudo magis, ac

cellentiae Vrae optime notae sunt; e Capitularibus alii aetate fracti, alii morbis, velut naturali infirmitatis humanae satellitio, attriti, obliga- tionibus, quae Capitularibus incumbunt, satisfacere impares sunt, unde reliqui variis occupationibus et officiis distenti multum obruuntur. Quare nunc, dum per mortem Michaelis Vörös vacantia in Capitulo enata est, multa certe nobis gratia obtingeret, si Excellentia Vra pro vacante stallo talem virum altissimo loco proponere dignaretur, qui et viribus et faculta- tibus praeditus, obligationibus capitularibus satisfacere etiam possit; cumque ego talem in D. V. A. Diacono et Parocho Paksensi suspiciam, Eundem Extiae Vrae commendare sustineo, humillimis precibus orans: dignetur Eum condigno loco pro vacante stallo altissimo loco proponere, ac potenti sua intermediatione negotia Ejus ita commendare, ut de cle- mentissima Ejus resolutione proxime gratulari possimus. Qui de cae-

exulceratio indicata fuisset,) ad recensorium calamum penitius non assumtis, quum plenaria restitutio ob defectum iudicis in longum traheretur, per sedem romanam, ad quam causam suam incusatus ipse detulerat, consiliis pacis et unionis impensius commendatis, retractatione cunctarum, si quae praecessissent, offensarum, in solemnibus consistorio diei 2-dae Nov. 1875. per Canonicum praemissa, reconciliatio servis Dei digno modo effectum nacta, in cuius signum finito consistorio, dum Canonicus privatos Praesulis honores deferre satageret, hic eum amplexibus et osculo pacis, inter contestationes optima opinionis excipere non dubitavit, ut adeo de Praesulis, mox ab altero anno in hodie, portionem gregis dominici in oris Weszprimiensibus cum gloria et honore patientis, bono corde, de Canonici vero antiqua integritate nosmet ipsos promptos testes praebere oporteat.

Abinde, dum ordinario officio suo defungitur, in promovenda re humanitaria partibus suis non deest. Anno 1876. exsoluto ultra 600. flor. residuo adhuc debito novae scholae Paksensis, eam 400. finis exquisito apparatu diversorum instrumentorum pro

tero" etc. His provocatoriis minime expectatis nondum plene tranquillatus episcopus, eas in omnimodam cautelam superarbitrio omnibus et gulis venerabilis *Michaelis Virág* canonici 14. Junii e. a. eo fine subiecit, ut haustus aliunde notitiis opinionem promat; post unam septimanam locatam in se confidentiam, inter reliqua, his evacuavit: „Veniam ante omnia humillime peto, quod non illico altis Excellentiae Vestrae intentionibus satisfacere potuerim, cum enim absit Illmus D. Praelatus Daróczy, ad illius mentem cognoscendam ad thermas Harkányenses die Martis excurri. — Nunc itaque ea, qua filium oportet ferri erga Patrem optimum confidentia, reverenter ad ea, quae intuitu propositionis a me nunc desiderat Excellentia Vestra, referre sustineo: Reverendissimum Dominum Praepositum majorem Josephum Kelemen, intuitu A. R. D. Parochi ac V. Archidiaconi Paksensis, revera non tantum votum Ven. Capituli, sed et Cleri dioecesanum, imo communem vulgi, ut dicam, opinionem depromp-

institutione pubis scholasticae providit; pro fundo subsistentiae docentis graphidis ibidem capitalis adinstar 3333. fnos; in perennem fundum duorum lectorum pro orphanis in Rudolphino Quinqueecclesiensi 1000. fnos; variis institutis, uti veteranorum militum etc. ultra 700. fnos numeravit; et quovis novo anno viduabus mendicare erubescitibus 100. fnos dispensat. Testibus novissimis ordinibus episcopalibus celebratissimam intentionem RR. Francisci Troll Abbatis Canon. Cantoris, ex qua hic pro annuo succursu in 10. dioecesanos miseros aut infirmos sacerdotes erogando 20,000. fno. capitale magnanimitate numeraverat, eo redintegavit, quod 200. fno. sibi qua capitulariter electo foundationis curatori destinatis sponte renunciando, succursum non pro 10. verum pro 12. sacerdotibus possibilem reddiderit. Exmissiones in dioecesi non raro ingratas et involutas cum industria et optimo effectu explet. Cassae capitulares, sic dictae minores, et aliae per eum manipulantur. Et sic continua occupatione dies in virtute pacis et bonae conscientiae ei dulcorantur.

sisse, manifestasse; Illmus D. Vicarius omnino ejusdem est sententiae, reliqui quoque RR. Domini Capitulares hanc fovent opinionem, Clerus civitatis totus ita: ut jam diversae circulent opiniones in casu subsecuturae benignae nominationis de complendo beneficio Paksensi; in Dioecesi quoque exterius, ut a pluribus mihi rescire licuit, fere omnes idem sentiunt, ita ut si dicere liceat, vox populi et Cleri communis sit de promovendo D. Parocho et V. A. Diacono Paksensi ad vacuum stallum canoniale. — — — Cum haec sic revera se habeant, tutissima conscientia absque ulla haesitatione, quin ulli aliqua injuria inferretur, proponere dignetur illum Excellentia Vestra, et ut verbis RR. Domini Praepositi majoris utar, „Condigno, seu primo loco, ac potenti sua intermediatione ita commendare: ut de clementissima ejus resolutione quam proxime gratulari possimus.“ — Quinque-Ecclesiis die S. Aloysio sacra 1867.a)

a) Dignissimus hic vir post bimestre ab hac fati functus, vota his literis expressa completum iri non vidit.

XVIII. Josephus Stallenberger, ex parochia *Kömlöd* anno 1867. ad *Paks* promotus, hic loci ex-templo vice-archidiaconali honore decoratur.

Zelusus et munificus hic pastor educationi pubis scholasticae egregiam tulit opem, huicve fini non parum ex propriis facultatibus dicavit; sic quartae elementari classi vitam dedit, hujusque scholae pavementum 198. fnis, scamna 248. fl. valvas 80. fl., fornacem 35. fnis procuravit; docenti vero hujus classis inde a 12. annis subsidium 100. fnor et 1. orgiae focalium lignorum quotannis impertit, quod summam 1298. fnor. efficit. Tertiae classis docenti datum per 12. annos 20. fnor. stipendium = 240. fl. item pro scamnis hujus classis 260. fl. erogavit.

Cooperatores anno 1879.

1. Franciscus Haragó, *Szigetvárini* 10. Sept. 1848. natus, presbyter 1872. 1. Aug. ordinatur.

2. Josephus Streicher, in *Hőgyész* comit. *Tolnensis* oppido 1850. die 2. April. progenitus, ad sortem sacerdotum 10. Sept. 1873. assumitur.

Defuncti alii in Paks sacerdotes:

1. P. Gregorius Polics, ord. S. Franc. actual. praesidens residentiae ac parochiae administr. † 3. Maji 1720.

2. P. Franciscus Strum, ord. S. Franc. prov. Capist. concionator et vicarius residentiae. † 17. Januar. 1769.

3. P. Christophorus Tribskorn, ejusd. ord. et prov. lector jubilat. praesidens residentiae. † 2. Mart. 1787.

4. Sigismundus Demkovics, ex-Paulinus. † 3. Sept. 1788. (v. Rec. III. 937.)

His adjungi potest moraliter mortuus:

Alexander Szóhl, 8. Mart. 1844. natus *Bajae*, die 4. Aug. 1867. presbyter factus; capellani officium gessit in *Tevel*, *Villány* et *Paks*. Hic loci turbida hora statui sacro valedixit, adinstar filii prodigi peregre profectus.
